

X 2054019

ULTIMUM OFFICIUM
In honorem & perpetuam memoriam
piarum Manium

VIRI*Prænobiliss: perquam Strenui & Generosissimi***Dn. FRIDRICI a Metzb/**

Hereditarii in Frisen & Reichenbach S. Roma-
ni Imperii Aerario Præfecti & Rationalis, Serenissimo Ele-
ctori Saxon: à consiliis intimis, Consistorii Ecclesiastici Supremi
Præsidis longè maximi & eminentissimi, nunc
desideratissimi

Quem merito Parentis instar, dum in vivis erat, habuere Viri quique cele-
berrimi, sive Academiis, sive Curiarum subfellis, sive aliis Saxonici territorii Syne-
driis operas consecravere suas.

ET QUIDEM

In solatium utriusque familiarum prænobilissimæ, ad abstergendas lacry-
mas largiter profusas, decenter & officiose

*exhibitum***QVIRINO SCHACHERO, D.**

in famigeratissimâ Musarum

Coloniâ quæ est Lipsiæ,

in colleg: Petrino

*die 1 Febr.***ANNO M. DC. LVI.****Ex officina BAUCHIANA.**

QUAM satis lugubre sit, Majorum imagines videre, aut non
fixas, aut revulsas, l. lex qua, 22. C. de admin: tutor: &
durum, laribus sepulchrisq, a vitis carere l. in fundo 38. ff. de
Crei vind: , quanto magis itaq, lugubre, & quanto durius est
defraudari condignis honoribus & justis exequiarum cere-
monis, ideoq, besterna luce supremū humanitatis officium exhibuimus Viro
Nobiliss: Magnif: Ampliss: Excellentissimog, Domino FRIDERICO
TUNZELIO hereditario in Eünzenhausen & Milla Comit. Palat. Cæ-
sar: Sereniss: Elect: Sax: à consiliis Appellationum, Cameralium, Imperii
& finalium, Territorii Saxon: Consistorii Eccles: Supremi Assessori ut vi-
gilantissimi, ita meritissimi JCTI summi, quem nobis prob dolor! fatorum
immana savities eripuit, usiq, nostro intercept; Experimur a. nunc pro-
verbium illud pervulgatum esse veriverbium, ubi dicitur: quod nulla calami-
tas sola sit, sed

Vtq, malum late solet immedicabile cancer

Serpere, & illas vitiatas addere partes:

Ita nondum priore cicatrice obducta, inflictum jamdum aliud vulnus sen-
timus, dum nimirum nunc etiam supremū voce ciemus Virum Pranobiliss.
perquā Strenuū & Generosissimum, Dn. FRIDRICUM à Metsch/ Heredi-
tarium in Grisen & Reichenbach Sacri Rom: Imp: Aerario Praefectū &
Rationalem, Sereniss: Elect: Saxon: à consiliis intimis, Consistorij Eccle-
siastici Supremi Praesidem longè maximum & eminentissimum nunc deside-
ratiss: quem mors qua sceptraligonibus aequat, non ita pridem abripuit, &
Orchio Thesaurō (quod ajunt poeta) tradidit. Cum itaq, justum atq, æquum
postulet, humanitas suadeat, pietas efflagitet, ut & ipsum meritis praconii
monumentis & exequiarum cobonestamentis condecoremus, hoc n. viros
magnos optimeq, pro meritos decet, quod gesta illorum imitanda verborum
decentium lenocinio prosequantur, ut seris olim nepotibus constet, quid hic &
ille, dum bujus mūdi incolā fuit, laudatu dignū presterit, pudenda reverā
tum ingratitude, tum inhumanitatis nos alligaremus, si tanquam muti
piscis nunc silentium altum teneremus. Hoc quare à nobis ne fiat, ad
diem futurum Veneris parentabimus honorificè supra nominato nostro
FRIDRICO METSCHIO, ad cujus parentationem itaq, iterum Magnif.
Dn: Rectorem, Celsiss: Holsatia Principem, Perillustrem Dn: Rbuthenum,
nec non trium Facultatum Doctores Licentiatos & Magistros, unā cum re-
liquis Musarum filiis, artium liberalium & disciplinarum cupidissimis invi-
tamus, quos ob id aliquando frequentiores comparituros, hac Schedulā lectā
existimo, habebunt me quoq, ad ejusmodi gratificandi occasiones paratissi-
mum promptissimumq, perpetuo. P. P. & publicis Valois Collegii Majoris
Princip. affixum 27. Januarii M. DC. LVI.



NA litura ex hominum

numero delendos, Tygrides non homines appellandos illos arbitraret, si qua forent & quoquam reperirentur, qui in diem vivendo, nec commoda nec damna publica sentirent, aut si ea sentirent & perciperent, parvi, aut nihili omnino facerent. Lugemus certè & lacrymis abunde nostri oculi madent, suspirijs, gemitibus, lamentationibusque omnia circumsonant, quando in re privatâ adversæ fortunæ afflatu utimur, quando citra animi sententiam iis, quæ nobis sunt cariora, spoliatur atque privamur: quanto magis itaque fas est, ut conspicua & valdè manifesta tristitiæ, luctusque nostri edamus signa & indicia, cum publicæ calamitatis atrocitatem, eamque non ad nos solum, verùm etiam ad alios, imò ad omnes redundantem, persentiscimus. Quod nobis proh dolor! nunc accidit, dum eam insignem fecimus jacturam VIRI Prænobilitis, perquam Strenui & Generosiss: Dn. Fridrici à *Metsch* Hereditarii in *Strisen & Reichenbach*. S. Romani Imperii ærario Præfeti & Rationalis, Sereniss: Electori Saxon: à consiliis intimis, Consistorii Ecclesiastici Supremi Præsidis longe maximi & eminentiss: nunc desideratissimi. Hæc ipsâ itaque de causa Auditores Magnif. Reverendi, Ampliss: Clariss: Lectiss: nemo nostrum jam jam adeò ferreus atque durus est, qui non gemitibus mœstitiæ suæ, cordolique monumenta repræsentet; quamquam alias ea mente sumus, ut nulli fortunæ, quamvis maximè adversæ facile cedamus, sed omnia potius humana moderatè esse toleranda sciamus, tamè cum violenta mortis rabies eum virum nobis abstulerit, qui columna & fulcimentum quasi totius Saxonici territorii fuit, facere nullo modo possumus, quin acerrimis doloris stimulis confodiamur atque discruciemur. Conquassata n. supremorum judiciorum collegia obitu hujus viri præcipitem ruinam minantur, nisi DEVS ipse auxiliò suo superveniat. Quàm multæ res ad finem optatissimum brevi temporis intercapedine perducere potuissent, præsentem hoc divino sene, cui nunc parentamus, tanquam perpetuo scientiarum Dictatore, quæ nunc in medio sunt relinquendæ, aut seriùs tamen exitum suum consequentur

quentur. O spes itaque fallaces, inanesque cogitationes hominum! Licet autem talia tum manu, tum consilio gesserit ille noster pie defunctus & ad eos honores virtute sua pervenerit, ut abunde ad gloriam & nominis sui perennitatem vixisse videatur (eo enim progressus erat ætatis, ut à vitâ, tanquam ex arbore, non per vim evulsus, sed suo tempore ipsâ maturitate collapsus esse videretur) Quorum tamen vita, quo diuturnior, & publicè utilior visa est, eorû mors nunquam non acerba & immatura videri potest. Quando autem fatalem illam necessitatis ultimæ legem, mori debes, oculorum aciei objectam, penitioris mentis indagine scrutamur, intelligimus, DEUM hujus machinæ conditorem, universum hominum genus eadem mortalitatis lege devinxisse, ostensa tamen, si per ipsius præcepta gradiamur, certissimâ spe melioris vitæ, commorandi itaque nobis hic diversorium, non habitandi dedit. Gratias igitur illi potius agere debemus, quod tantum Virum nobis non modo dederit, sed & quod nos illius virtute ac bonitate tam diu frui voluerit, quam iniquiore animo ferre, quod cum quamquam viridi & cruda senectute, consumptis tamen corporis viribus, tot laboribus negotiisque agitatum & fatigatum ex hoc inquieto ac turbulento salo in illum placidissimum portum perpetuæ quietis ac tranquillitatis eduxerit.

Nemo hominum, navigat eò animo, ut semper naviget, nemo militare discit, ut nunquam militare desinat, nemo ea mente laborem suscipit, ut alios ex aliis laboribus perpetuò suscipiat, sed & qui navigat portum, qui militat victoriam, qui laborat quietem atque otium spectat, quò qui pervenere; gratulari iis amici, non dolere illorum vicem solent. Ea propter nec nos hunc benignitatis divinæ favorem nostro pie hac vita defuncto invidemus, sed potius gratulamur. Ne a. ulterius gradiamur, agite Auditores benevolentissimi & eâ quâ soletis æquitate me de mortui vita virtutibusque licet frigidè, *καθ' ἴκνην* tamen & rei ipsius veritatem dicentem audire non dedignemini. Paucis verò describam vitam illius à primo isodio usque ad exodium, quam ille feliciter transegit, & ita describam, ut è pluribus saltem ea deligam, quæ majoris sunt momenti, & quæ à re propositâ non aliena esse videbuntur.

Ægyptii quondam cum de mortuos suos prædicare vellent, genus & familiam silentii peplo contegebant, cum omnes æquè nobiles esse putarent: quæ tamen opinio multis modis, si foret opus, redargui facile poterat. Fuerunt & adhuc quoque reperiuntur, qui semper in ore habent & crebris usurpant sermonibus illud poëtæ:

Nam

*Nam genus & proavis & qua non fecimus ipsi
Haut ea nostra puto.*

Et alterum Senecæ: qui genus jactat suum aliena laudat. Quæ acromata sicut vulgo, quod nobilitati fere infensum est, | maximopere probantur: ita si paululum excutias, veritati contraria ex diametro esse, nec leviter saltem probari posse reperies. Imitemur autem nos Romanos illos rerum dominos, & omnium mortalium, quos Sol hic aspexit, quæ prudentiam, quæ virtutem, quæ res secundas & perpetuam felicitatem excellentissimos, qui, si defunctos suos ultimo humanitatis officio mactarent, Majorum imagines longo ordine & insigni pompâ iis præferre consueverunt. Vnde scribitur Tiberium Imperatorem in exequiis Drusii originem gentis Juliæ Æneam, Reges Albanorum, Romulum, & Appiorum effigies magno numero detulisse: & Juliam, quæ Cassio nupta fuerat, cum efferretur, viginti nobilissimarum familiarum imagines, quæ dignitatem ejus ampliarent, præcessisse feruntur. Horum itaque *Φιλοναλίαν*, inquam, lubentius imitabimur, quam eorum Sordes & inquinamenta, qui suam ipsorum originem nihili faciunt, nec pensi suos habent Majores, sive terræ sint filii, sive summorum virorum, quibus plurimum omnis res publica debet, posteris. Si ergo in generis claritate & imaginum splendore quoddam veræ nobilitatis & soliti decoris positum est monumentum, verè hoc asseverare possumus Fridericum Metzschium (quem

non series in honore parentum.

Obscurum proavis, aut prisce lucis egentem

Plebejâ de stirpe tulit

undiquaque nobilissimum & splendidissimum & Majorum titulis longè clarissimum esse. Cujus celeberrimam familiam à duobus abhinc millibus annorum, ab avis proavis, ab avis, atavis, tritavis & reliquis majoribus, eisque nobilissimis facillimo negotio, non sine verâ ostentatione & pompâ insigni honorificentissime referre & commemorare possemus si lubitum opusque fore existimaremus. Cui enim inter nos & simul exteros ignota & incognita est celeberrima Metzchorum prosapia, in quâ Comites, Equites & multi alii viri supra modum celebres & conspicui extiterunt. Nam si fidem S. Imperii matriculæ adhibemus, annumerati fuerunt quidam ex hac ipsâ prosapia inter Nobilissimam illam quadri-

B

gam

gam Imperii S. venatorum, dominumque suum, ut docent Helvetiorum Chronica, in Rhætica exercuerunt. Anno post incarnationem Filii DEI 933. quispiam hujus nomine nimirum Cordus Metzsch prælio propè Martisburgum, cum Cæsar Henricus Auceps Sax. bellum contra Hungaros gentem ferocissimam & immanissimam gereret, interfuit, pro aris & focis, pro lege & grege fortissimè dimicavit. Et quod continuâ serie ex hâc ipsâ prosapiâ provenerint viri strenuissimi, qui Electoribus & Principibus Saxoniae utilissimam navârunt operam in rebus paratis simul, & imparatis, in lætis & tristibus, in jucundis & molestis, utcunq; forsulerit, testimonium omni exceptione majus perhibet album, in quo reperitur nomina eorum qui frequenter exercitiis catadarmicis ludisque equestribus palmam & brabea sibi promereri manibus pedibusque laboraverunt: Siquidem Henricus Metzsch anno 1296. Schweinfurti sedecima vice in cathadarmo simulacra pugnae exhibuit. Item præstitit, anno 1362. alius Henricus Bambergæ decies novies. Quidni etiam commemorem Georgium & Casparum Metzschium qui anno 1486. 1496. triginta & quaternis vicibus certaminibus equestribus strenuitatem suam in conspectum dederunt. In quanto existimationis honorisque æstimo fuerint habiti Johannes, centurio, provinciae præfectus, primusque Judex Curiae Wittebergensium, cum Josepho Levino Metzschio in Mila, tunc temporis principis & Burgravii Misniae Consiliario longè eminentissimo, & quam strenuè & heroicè sese gesserint, cum Papiculæ puram & sinceram Evangelii doctrinam in primâ quasi herbâ suffocare conarentur, satis superque cernere licet, & luce meridiana clarius apparet ex ipsius D. Lutheri scriptis. Quin & insuper fuisse constat Theologiae Doctorem Misniae Episcopum ex relatione historica D. Leonhardi Wurffbein/ p. 8. f. 241. Nec non V. J. D. & Conradum Metzschium Electoris Joachimi Brandenburgensis consiliarium, quem munus legationis obiisse in comitiis anno 1542. Norimbergæ habitis, constat ex Imperii recessibus fol. 290.

Ex hâc tam pervestitâ, tamque nobilissima prosapia oriundus est nobiliss. Dn. FRIDERICUS Metzschius noster.

Natus autem & nudus hanc interram veluti Naufragus quispiam, quæ omnium hominum est conditio, delatus anno 1579. die 8. decembr. & paulo post Christianis sacris initiatus,

atus, Fridricique nomine insignitus est. Patrem habuit Nobiliss. Dn. Abrahamum Metzschium quondam in Reichensbach & Friesen. Avum nobiliss. Dn. Josephum Levinum Metzschium in Mila, Principis & Burgravii Misniae Consiliarium virum quoad eruditionem, honorem, & existimationem ad invidiam usque suo quidem tempore notum atque conspicuum, qui primus in hac linea parvulo gregi Religionis nostrae salvificae se associavit, & cum B. Luthero qui tunc temporis superstitionem, & impietatem Pontificiam non scalpello, quod spongiâ rectum esset, perstringebat leviter, sed ancipiti gladio doctrinae coelestis secabat & percutiebat, conjunctissime, amiciter & familiariter vixit, id quod testantur literae à Divo Luthero ipso ad illum exaratae, quarum copia reperiri potest in libris ejusdem, qui passim in Theologorum manibus versantur.

Ab hisce parentibus suis nobiliss. non tantum decumanae virtutis exempla capere potuit, sed & insuper ea vidit atque audivit omnia, quae veram ad pietatem & mores inculpatos facem praelucere, quam obrem etiam apud eosdem non solum aetatis, verum etiam virtutis & sapientiae incrementa suscepit. Sed Nemo est adeo felix & ab omni parte beatus quin aliquando malignitate adversae fortunae exagitetur & divertatur, Hoc revera usu quoque venit nostro jam inter beatos viventi: Non enim perpetua laetitia & continua felicitate vitam suam transegit, sed vix compleverat annum undecimum cum orphanum illum relinqueret parens ipsius, sepositis humani corporis exuviis. Hic non opus est ut multis commorem lamentationem, miserabilesque gestus, gemitus & ejulationes tristitiam meram, nilque nisi cordolium ingens praeseferentes, & representantes, quas hoc casu tam acerbo, atque in ipsis adhuc pueritiae suae annis ingruente, Metzschius noster edebat. Praeprimis autem pia Mater, ceu est ad flendum feminarum, etiam in levibus causis, perfacilis inclinatio maximum in modum Ejulabat, gemebat, lacrymasque profundebat uberrimas, interim tamen animum non prorsus despondebat, sed omnia divinae voluntati committebat. Filium autem hunc suum praecipue saluberrimis instruebat, & quotidie monebat, ne in biviâ virtutis & vitiorum via erroneam, vitiorum ingrederetur. Nolebat ergo, ut semper domi in rosis quasi violisquae sederet, sed Cygneam eum ablegavit an-

no 1591. ubi tunc temporis Schola valdè celebris aperta erat, ibi cum propter aëris inclementiam minùs benè valeret, retrocessit, & Curiam intravit anno 1593. Et apud ipsum Scholæ Rectorem Dn. M. Eusebium Blebelium habitare, cibumque capere non detrectavit. Anno 1595. matre & Dnn. Tutoribus consilium suggerentibus Neapolim ad Orilam ingressus est, ubi à Reverendo Dn. Superintendente Stephano Rothen/hospitio exceptus est, & ibidem cum studiis suis in gratiam iterum rediit, sedulo enim & diligenter iisdem tam publicè, quàm privatim operam navavit, nec mediocrem, eruditionis thesaurum sibi acquisivit, ita, ut anno 1596. die 27. Julii dignissimus habitus suorum Præceptorum iudicio; qui ad Academiam tanquam præstantioris mercis emporium, ne scil. in fame veri & virtutum quasi penuria, diutius claustralibus scholarum trivialium cellis detineretur, amanderetur. Annum itaque ingressus decimum præter propter septimum, (quæ ætas etsi in plerisque nihil cogitare, nihil loqui, nisi leve ac ludicrum solet; inusitatæ tamen, & cujusdam singularis prudentiæ significationes in Fridrico Metzschio dedit; Ut & hic verissimum illud agnoscere liceat, quos magnis & præclaris rebus destinavit præpotens ille omnium moderator **DEUS**; in iis plerumque virtutem annos non expectare, sapientiæque semina in eorum animis & comprehendendi facilius & tempestivius adolefcere) ad celeberrimum itaque illud totius Europæ tum temporis Musarum domicilium Wittebergam ex pientissimæ matris & Dn. tutorum consilio sese contulit ad pertexendam illam, quam feliciter inchoaverat, studiorum suorum telam, & ne domum, ut habet, proverbium ædificari captam impolitam relinqueret, eo in loco Doctissimi Dn. M. Danielis Dornschneider / privatâ informatione cum fructu longè uberrimo, utebatur, & ab illo tantùm ex philosophia perdiscebat, quantum opus habebat. Ne eutem τὰ ἔργα πᾶρεργα καὶ πόρεργα ἔργα redderet non in totum, Philosophiæ sese mancipavit, sed istius, utpote quæ verbis & rationibus bonos efficere conatur, indefessa animi promptitudine cursu absoluto; ad eam, quæ iis longè potentioribus rebus nempe præmiis & pœnis sartam tectamque conservare Rempubl. studet, quam Polus Pythagoricus encomio plane proprio matrem ac nutricem omnium virtutum appellat, animum adjecit suum: Quo in studio ut tanto uberio-

rem

rem laborum & molestiarum consequeretur, quam virtus desiderat, mercedem nempe laudis & gloriae: Praeceptores maxime proposito huic idoneos quaesivit, illisque inventis: non sine magno laudis & honestamento & praemio, Praesidente D. Andrea Tallingero in Collegio privato horis ante & post-meridianis anno 1600. die 16. Jan. de Justitia & Jure erudite disputavit. Cum autem Witebergae variis morborum generibus iisque periculosissimis subinde affligeretur, placuit abire Jenam, cum id celeberrima Medicorum peritissimorum turba non inconsultum fore judicaret, quo cum anno 1602. pervenisset, de alienatione feudi disputavit, iisque se adjunxit, qui collegium feudale D. Dominici Arumaei & D. JACOBI Schreideri tunc Jenae Prof. P. sedulitate indefensa visitarent. Anno 1605. iterum theses suas publice edidit, illasque sub praesidio Jure Consulto celeberrimi Virgilii Pingirzeri & quidem ex jure publico & privato desumptas, non sine honoris incremento defendit. His ita finitis Longa viarum spatia emetiri, & per inhospita resque proficisci tentavit; pedemque suum in Galliam die 11. Martii ejusdem anni intulit, quam & totam bonis avibus permittavit. Inter alia autem in hoc itinere praecipuis illa doctorum & orbis illo tempore lumina Dn. Hippolitum à Collibus, Marquardum Freherum, Janum Gruterum, Fridericum Lundenburgium, Jacobum Leccium, Aegidium Hortensium, Johannem Hottomannum, Isaacum Casabonum, Thuanum, Antonium Fabrum & alios singulari familiaritate & amicitia sibi devinxit; cum quibus saepissime mutuo literarum officio certavit. Si quidem nec omnino dubitavit Dn. Fridericus Hortleder / in disp. sua habitae Jenae anno 1609. de justitia belli Germanici contra Carolum V. Imp. ab Ordinibus Germaniae protestantibus gesti, quin in perpetuam ipsius laudem atque decus (florem enim Nobilitatis illum appellat) literarum monumentis consignari curaret, nominata modo ista Jurisprudentiae lumina literarumque columnina amicum Metzschii ingenium (ita enim loquitur) eruditione exacta cum Italiae ac linguae Gallicae peritia, summaque prudentia conjunctum dilexisse atque admirasse. Provinciam totius illius Regni nullam quidem usque Angliam & Hispaniam oculis suis non perlustravit, & linguam Gallicam ex amussim sibi reddidit notam. Academias omnes adiit, res momenti cujusdam & praecipuis ab antiquitate veneranda reservatos
visuque

visuq; non indignas ostendi sibi curavit. Illud iter peregrinatione suâ emensus diligentissime ipsemet descripsit, cujus operâ certè nequaquam perderetur si typis exprimeretur ad regulam & normam aliorum peregrinantium. Anno 1607. divinâ favente clementiâ salvus & incolumis domum iterum rediit: Sed ingenti ardore flagrabat visendi quoq; Italiam, quâ propter sine omni comperendinatione & hanc viam suscipit, multumq; temporis in illâ lingvâ addiscendâ impendit, nec hic paucis eruditorum innotescit. Dum autem tam longo spacio terrarum à patriis Laribus abest, hâc mentis sollicitudine corripitur, fore, ut absente ipso, rebus suis domi malè consuleretur, itaq; ne diutius negligerentur & tandem pessum irent, relictis peregrinis regionibus & provinciis, magno virtutum & sapientiæ thesauro onustus, in patriam revertitur. Sicco hic præteribo pede, nec multis verborum ambagibus ostendam quo gaudio, quâ honoris exhibitione, quâ congratulatione à suis tum agnatis tum cognatis exceptus fuerit, ne minima quæq; consecrari & iisdem inculcandis animos vestros delassare videar. Posteaquam autem rebus suis omnibus in ordinem reductis, ipse rem familiarem gubernare & administrare coepisset, sentiebat se solùm tantis atq; rebus subeundis atq; expediendis diu non suffecturum, de conjugee ergo sollicitus fuit, cujus mutuâ ope aliquantisper sublevaretur. Non autem ignorabat matrimonia tunc auspiciatissima esse, si pietate præambulâ, quæ fundamenti instar juxta consilium Pittaci & Laertii contrahantur, nimirum inter æquales, quâ ætatem, quâ formam, quâ genus, quâ opes, quâ mores, quâ valetudinem, & quis omnia, quæ sunt hujus æqualitatis, percensere possit? Ita & ille precibus devotione ferventi ad DEUM, conjugii authorem fufis, scœdera sacrosanctatori iniit, junxitq; sibi anno 1612. die 25. Febr. Annam Elisabetham à Schönberg tunc temporis virginem lectissimam, pudicissimam, omni virtutum cumulo & nobilitate natalium cumulatisimam in omnibus plane sibi simillimam.

In hoc illorum conjugio amor fuit ferè mutuus & reciprocus sine ulla ζυγομαχία & dissensione, suavissimus sine acerbitate & morositate, perpetuus sine tœdio & fastidio, purissimus sine suspitione & alienæ cupiditatis macula, gratuitus sine pleonexia, patientissimus sine omni ad utriusque sexus imbecillitates offensione & iracundia, quod fundamen-

damentum si positum sit, cœtera omnia, quæ hoc vitæ genus
sospitare queunt, facile superstrui possunt. Cum hac Anna
Elisabetha annos tres ad quadraginta quietam transegit vi-
tam, & ex illa duodecim liberos felici partu editos, suscepit
nimirum 8. filios & natas 4. quorum 6. filios cum tribus fili-
abus, delicias parentum florentibus annis mors sibi pignera-
ta, majoribus, qui degunt apud superos, aggregavit. Ita nimi-
tum serius aut citius

— metam properamus ad unam.

Matres atq; viri defunctaq; corpora vitæ

Magnanimum heroum, pueri innuptaq; puella.

Reliquos duos filios nempe Adamum Fridericum Metzsch-
ium, cum Bernhardo Adolpho Canonico Misnensi, Merse-
burgensi & Naumburgensi adhuc Numinis aura fovet. Filia
autem superstes Dn. Eva Elisabetha nupsit Prænobilibs. & per-
quam strenuis. Viro Electoris Saxon. Camerae & metal-
licarum consiliario ut Curiosissimo ita Vigilantissimo Dn.
Johann. Nicol. à Schönfeldt. Inter alias humanæ felicitatis
partes & ea contigit nostro piè defuncto, ut viderit seros ex fi-
liis nepotes, & quidem ex natu majore filio natos quinque cum
quatuor natabus, quarum duæ jamdum in terra omnium no-
strum matre perpetua quiete & tranquillitate fruuntur. Insu-
per aspexit Filiolam à Dn. Catharina Dn. Löseri uxore pro-
gnatam, quæ etiam hominem, jamdum exiit, & in cœlestem
patriam evolavit. Viginti itaque & octo liberos annume-
ratis etiam nepotibus vivens conspexit. Hæc tam rara *ωολυ-
τηνία* magnum DEI & naturæ beneficium est, sed ita tamen,
si *εὐτηνία* quæ potissimum in parentum precibus & vigilan-
tia sita est, accesserit. Sed agite, majora considerabimus, con-
stituerat Metzschius noster apud animum suum in domo sua
frugalem & quietam vitam transigere, nec officia sua Magna-
eibus deferre, averfabatur enim vitam aulicam, & irrequie-
tam purpuratorum omnium conditionem, quam obrem ma-
ximas officiorum functiones sibi oblatas obire recusabat, præ-
primis locum in judicio Imperialis Camerae, quod Spiræ est.
Interim tamen eo nihil tale opinante Sereniss. Elector Saxo-
niæ Dn. noster clementiss. eum jubet consiliorum suorum
justitiæ in Aula participem esse, & populi salutem quo
ad ferensia negotia procreare. Hanc Spartam lubenti
animo ornandam in se suscepit, quanquam parum utilitatis

ex eo ad rem suam domesticam perventuram cerneret, noluit enim obstinacem & refractarium suo principi ac Domino sese præbere. Investitur autem 23. Apr. anno 1619. juratque & æternam fidem spondet, quam nec gratia, nec odium, nec spes bonorum, nec malevada fames, nec aliorum malorum metus solvere possit. Subsequente anno in Judicium appellationum recipitur, cui etiam satis fecit affatim per octo annorum spacium, in quo munus directoris aliquoties obivit. Budislinum anno 1623. unâ cum commissariis Cæsareis ablegatus est, ut tractatibus interesset. qui condendi erant propter oppignoratam cessionem Marggraviatum, superioris & inferioris Lusatiae, quæ res etiam tam benè cesserunt, ut brevi tempore post Sereniss. Elector. Sax. immisionem & homagium adiret. Deinde cum primum in superiore Lusatia Sereniss. Elector. Sax. Conventum Statuum haberet anno 1624. Ejusdem vices sustinuit Metzschius noster, & ea omnia impetravit quæcunq; Ordinibus proponeretur. Eodem anno, cum Gûterbocci propter rem peculiarem Superioris Saxonie circuloꝝ conventus institutus esset, ad quem Cæsaris quoque legati pervenirent, id negotii traditur Metzschio, ut sese eundem ad conventum recipiat, à quo re optimè gestâ domum reversus est. Paucis autem præterlapsis diebus Lipsiam migravit monetæ examinandæ & probandæ gratiâ. Anno 1628. cum ante decursum vitæ cursum Nobiliss. Dn. Sebastianus à Rôteris/ coeleste politevma petiisset, consilarii aulici & Præsidis supremi consistorii dignitas eidem demandata fuit. Post hanc maximæ dignitatis oblationem summa eidem authoritas atque potestas concessa est cum res ea tam ardua & difficilis, ventilaretur Dresdæ de edicto Cæsaris anno 1629. publicato, propter bonorum Ecclesiasticorum subtractionem, in qua re conjunctis viribus & consiliis occupati erant Celeberrimi Theologorum & Jureconsultorum trium Academiarum Lipsiensis, Witebergensis & Jenensis, cum omnibus consistorii consiliariis. Rebus his compositis clandestinus circuloꝝ conventus agitur de Svevorum & Francorum Circulis quâ de re Plavoniam ipsi est migrandum. Die 27. mensis ejusdem ad diem compositionis Francfurtum ad Moenum legatus est, ibi difficillimo negotio rem sibi traditam & commissam transigere potuit, cum propter militum direptionem, qui vias undiqve obsidebant, neminitutò liceret

ret

retineri sese committere,) & Sereniss. Elect. resolutionem,
mentisqve suæ meditata eadem non posset nota atqve cogni-
ta efficere, simulq; cruentissimum prælium propè Lipsiam,
tum committeretur. Omnes res intricatissimæ deferebantur
ad illum, ut per ipsum expedirentur, siquidem anno 1635. man-
datum acceperat ut hæreditariò assumeret Marggraviatus
superioris & inferioris Lusatia. Deficiente autem plenipo-
tentiariâ ad sufficientiâ potestate, nõ potuit ea res in partibus
commissariorum Cæsareorum pertractari illo tempore, sed
subseqvente anno ad optimum finem perducta est.

Eodem anno Ratisbonam versus proficisci eum oportu-
it ut inter esset diei collegiali & Electorum, qui & ipse dies E-
lectioni sacer factus fuit, cum præter alia gravissima negotia,
Ferdinandus III. in Regem S. Imperii Romani unanimi con-
seusu & calculo omnium Septemvirorum eligeretur, quâ ele-
ctione nulla fuit insignior, nulla liberior, nulla magnificenti-
or, nulla gloriosior. Hoc loco non possum non comme-
morare quod nunquam, etiamsi omnia historiarum monu-
menta evolvantur & perlegantur quoquam inveniatur con-
scriptum: Nobilem in conclavi Electorum coram Dn. Præ-
sidentibus in Electione Regis Imperii Romani de futuro in-
Cæsarem promovendi loco Electoris Saxoniae votum dedis-
se: Illud enim ad minimum Comes quispiam præstare de-
buit. Sic in Electione Caroli V. Elector Fridericus qui ap-
pellatus est Sapiens se ipsum stitit. Ad coronandum autem
Regem Princeps Anhaltinus missus est. Ferdinandus primus
Coloniae sine consensu Electoris Saxoniae electus est, cujus
Dominus filius Dux Iohannes Fridericus legationis munere
functus est, qui autem ante peractam electionem abiit. Anno
1562. In Electione Maximiliani secundi nec non Rudolphi se-
cundi anno 1675. præsentem sese stitit Elector Augustus. Cum
eligeretur Imperator Matthias Elector noster Serenissimus
actui non detuit. Tandem ad 1619. cum Ferdinandus secun-
dus Imperatoriâ dignitate ornaretur, caput legationis extitit,
votumqve renunciavit Comes Wolffius Mansfeldensis. Eo-
dem modo hoc prorsum inauditum est, nec vulgare superio-
ribus seculis, quod Legatus Electoris Saxoniae Romano Im-
peratori in infeudatione quâdam evaginatum Ensem prætu-
lerit. Convenit enim istud Marschallo hæreditario, aut, ab-
sente illo, Marschallo aulico. At illud eo die Fridericus Metz-
schius,

D

schius,

schius, postulante ipso Imperatore, præstitit etiam in infeudatione Italiae principum ipso die Reginae, quo die ante quinquennium in prælio sanguinolento prope Lipsiam contra Cæsarem & Ligam catholicam victoria obtenta fuit, unde hoc chronodistichon enatum est:

In Regnam infestam, | anno 1637. 7. Septembris.
& Regnam reconci- | Imperatori Romano prope Lipsiam.
liatam | anno 1636. 7. Septembr. Ratisbonæ,

tr V X regl na aq VI La M g La DII per terr Vlt Irâ
a V X It o V ans aq VI La M & g La Dio regl na præ IV It.

*Quod etiã
præ nobilib.
Dn. Carpz
qui nobis
nō unum
librum be-
nedictorū
ut Cascel-
lius juxta
relationē
Pöponii in
l. 2. §. 45.
cōscripsit,
sed varios
& pretio-
sos: in præ-
fatione ad
Lectorem
refert, in
opere defi-
nitionum
Ecclesiasti-
carum seu
consistori-
alium.*

Anno de hinc 1637. comes ibat Fridericus Metzschius cum Sereniss. Elect. ad comitia propter homagium hæreditarium superioris & inferioris Lusatiae præstandum. Proximo anno 6. die Aprilis ad intima consilia cum assumptis, nec non summum præsidis munus in illum devolvit, quamobrem 3. pentecostes feriã juramentum præstitit post investituram in ipso Sereniss. Elect. conclavi. His rebus ita gestis iter suum eodem anno die 28. Junii Pragam versus instituere orsus est, petitum feuda Bohemiae & Lusatiae, quod itidem optimè actum & transactum est. In amplissimum campum jam mea oratio excurrere posset, si temporis ratio illud admitteret, possem ostendere, feudum Imperii semper ac ipsis Electoribus fuisse petitum, aut ad minimum assumpto comite quodam præter nobilib. Dn. Wertherum & Metzschium, cum autem illud sit in propatulo, & hæc notitia etiam in vulgus propemodum increbuerit, nolo propter temporis deficientiam multi loquētiã illud iterum atque iterum referre.

Deinceps cum Sereniss. Elector. Saxoniae Leutmarizium peteret, ubi ipse Imperator Romanus præsens erat Metzschius noster domi minime relinquebatur. Die 30. 8bris anni 1638 ad superioris Saxon. circuli conventum Lipsiam intravit & ad finem optatum eundem perduxit. Inter hæc agitur dies ille collegialis Electorum Norinbergæ, quis alius hic potuisset tantam legationem in se suscipere si de fuisset Fridericus Metzschius? quapropter viam ingreditur, etiam si tota direptionibus Suecorum militum pateret, nihilominus tamen die Sabbathi ante festa natalitia Christi Noribergam sine ulla jacturâ aut incurSIONE hostium, devenit. Ille conventus per ~~hæc~~ fenestre spacium finem suum non consecutus est, in ultima tandem & 6. sessione omnium suffragio conclusum est, ut
Ratis-

Ratisbonam comitia rescriberentur. Dictum factum, & quidem 16. die Julii anno 1640. ab ipso Imperatore Romano. Hic Metzschius noster iterum munus in se legationis suscipere jubetur nec illud detrectat, sed cum illis qui sibi adungebantur Ratisbonam proficiscuntur, quæ comitia per anni & duorum mensium spatium vix perficiebantur. Peractis his jussus seqvebatur Majestatem Cæsaream Viennam ad continuando tractatus Palatinatus, quod negotium ad tres annos protractum est. Antequam autem Viennâ domum regrederetur, Imperator Romanus prudentiam, virtutem, & eloquentiam ipsius, quam miraculi instar habuisset, sine præmiis non dimittendam censuit, ideo propter illum S. Imperii ærarii præfectum Thesaurarium & Rationalem constituit. At verò longum mihi erat futurum, si omnia, quæcumque ille legationes & munia obierit, servato ordine recensere vellem, annus non dies iis commemorandis requireretur. Res autem tam multas & varias, tam arduas & difficiles neque suscipere nec aggredi, nec sustinere, & perferre nec ad exitum perducere & absolvere potuisset, nisi singulari pietate erga Deum, fide erga Sereniss. Electorem, patientiâ erga collegas, moderati-
one erga cives, sobrietate in victu, *ἀνταρξία* in quærendis opibus, humanitate in omni vita, seu, ut uno verbo complectar omnia, *καλονομασία* & quorumlibet virtutum concursu, præditus fuisset: quod genus hominum olim aurei seculi reliquie nominari solebant. Sinceræ & veræ pietatis, & in Christum fidei & fiducia nota est, quod omnia in ejusdem nomine incipere, rebusque suis omnibus ultimam manum imponere solebat. Quod verbum DEI coram regibus & principibus ingenuè profiteri & testari se Lutheranae, quæ jam ita vocatur religioni sacris literis consentaneæ, & confessioni Augustanae quæ sub Carolo V. fuit exhibita, addictum fuisse hætenus nec ab illâ vel transversum unquam ad extremum usque spiritum discessurum, minimè omnium dubitaret;

Seu frendeat orbis Esorcus.

Eam ipsam ob causam summâ curâ atque vigilantia circumspexit, nec ecclesia, quæ instar rosæ inter spinas acutissimas floret, ab impiis AntiChristi satellitibus pessundaretur, & proculcicaretur. Tribus diebus antequam huic mundo ultimum vale dixisset, curavit ad se accersi plurimum Rev. &c.

Dn. D. Wellerum qvi Serenifs. Electori est à concionibus
aulicis, & de multis religionem concernentibus cum illo ser-
mocinatus est, petiitqve ut serupulus ille, qvem in casu quo-
dam Theologico sentiret, sibi eximeretur. Deinde admo-
nuit nominatum modo D. Wellerum, ut sedulâ attentione
excubias ageret, ne Camarina & Lerna, chaosqve illud fœ-
disimum, gravissimorum errorum detestandarumqve su-
perstitionum, quibus sub pontificum dominatu doctrinæ
coelestis veritas obruta, & penitus sepulta jacet à mercenariis
seu furibus potius & latronibus inter gregem ovicularum,
Christi introduceretur. Verbum DEI tanquam animæ pa-
bulum libenter audiebat, scripturasq; secundum ipsius Chri-
sti adhortationem accuratè scrutabatur. Mundi gloriam
ille pensi non aestimabat, sed satis fore putabat, si gloriari pos-
set quod sciret, Christum unicum suum *μεσίτην καὶ ἰκέτην*,
siquidem noluit ut in deductione funeris sui scutum & insi-
gnia, vanâ ostentatione, & pomposâ vanitate præferrentur, se
enim illa pronunciauit, deposuisse ante pedes salvatoris sui
modò sub ejusdem vexillo bonam militiam militasset. De
amore verò quo Serenifs. Elect. seu potius omnem domum
Saxonicam complexus est, hæc paucula, ut mittam plurima,
mihi certissimo poterant esse argumento quod semper co-
gnatos inter principes concordiaë auctor fuerit, quod ad di-
gnitatem, ad potentiam, ad perpetuitatem Illustrissimæ fa-
milie omnia consilia sua retulerit, omnes actiones reduxerit,
quod ardentissimis precibus & suspiriis *ἀδελείως* divi-
num fatigaverit numen, ut Illustris. familiam, æternâ sua gra-
tiâ beare haut desinat. Illâ ipsa die, qua jam in agone consti-
tutus erat, animamqve agebat, jam jam in Abrahamæ sinum per
πνεύματα illa *λειψεύματα* deportadam, id mandati dedit no-
bilis. Dn. genero suo Joh. Nicolao à Schönfeldt / &c. ut Se-
renifs. Saxonie Electori Domino suo clementissimo suo no-
mine ultimum vale diceret, gratiasqve pro exhibitâ benigni-
tate & clementiâ longè maximas referret, addito hoc pien-
tissimo voto, ut Deus quàm diutissimæ ipsum in tranquillita-
te sospitare velit, ab omnibusqve infortunii casibus immu-
nem efficere, quæ omnia ad Serenifs. Elector. aures fuerunt
delata & non sine doloris & condolentiæ significatione exau-
dita. Siquidem etiam honorificâ ipsius mentione factâ Se-
renifs. Elector. semper candorem ejusdem animi, fidelitatem
in

in rebus obeundis, taciturnitatem in tentationibus periculo-
fis maxima cum laude profecutus est. Cum collegis suis ami-
cissimè vivebat, & operam suam cum illis conjungebat, in
consiliis suis non erat *ἰδιογνώμων*, nec manifestæ veritati ob-
sistebat, nec oderat eos qui aliud svaderent: sed meliora mo-
nentibus parere, & loco cedere, adeoque fasces submittere si-
bi haut ignominiosum esse sciebat. In pauperes liberali erat
animo, eisqve panem porrigebat, sciebat enim per hanc lu-
am liberalitatem se posse thesaurum sibi comparare, quem
non rodere tineæ, nec fures tollere possunt. Studiosis pauper-
culis Mæcenatem beneficentissimum sese exhibuit. Dereli-
ctam viduarum & Orphonorum turbam contra aliorum
fraudem & injuriam protexit. Nullum vitium terrius avari-
tiâ præsertim in principibus & rerum gubernatoribus esse,
cum Cicerone sentiebat: Ideoqve non poterat non eos odis-
se, qui ad Remp. ut ad messem auream cum Stratoele & Da-
moclida accederent. Etenim cui nihil satis, eidem nihil turpe
inquit Timotheus apud Ælianum. Et ut terra, quæ auri & ar-
genti venas habet, in cæteris ferè sterile scit: ita qui semper au-
ro insidiatur nullam bonæ rei frugem producere potest.
Quoniam autem ex S. literis tum lectione, tum auditione per-
cepisset illam Divi Pauli sententiam: nimirum illos negare
Christum & Ethnicis pejores esse, qui suis non prospiciant,
Rem itaqve familiarem haut pœnitendam DEI munere Se-
renis. Elect. liberalitate & multo labore partam reliquit, &
ita reliquit, ut mœstissima vidua & hæredes ipsius minimè ab
illis veterum monitis sibi metuere cogantur: malè parta, male
dilabuntur, de malè quæsitis non gaudet tertius hæres: Omnis
dives aut iniquus est, aut hæres iniqui, & si quæ alia sunt, quæ de
divitiis per fas & nefas quæsitis jactari vulgò solent. Sed ut ad
ultimum vitæ ipsius actum & ad valetè postremum pervenia-
mus, piè cum vixisset, malè mori non potuit, *καλῆς ἀπ' ἀε-
χῆς, γίνεσθαι τέλος καλόν*, principium si bonum est finis
non malus esse solet; Sic & ille tragicum vitæ exitum non
sensit. Ante biennium quidem vires, corpusqve suum debi-
litari sensit, non tamen functiones suas tum in collegio confi-
liariorum secreto, tum in superiori consistorio post habuit
atqve neglexit, ut non raro à collegis suis admoneretur, ne
corpus suum senio confectum viribusqve desitutum multa
deambulatione & per gradus ascensione magis magisque de-
bilita-

E

bilita-

bilitaret & frangeret. Tandem ante 30. septimanas priusquam hunc mundum relinqueret lectulo suo prorsum affigebatur, tamen haut raro collegas in domum suam convocari curavit, ut una cum illis res consistoriales pensitaret & dirimeret. Quodcumque res ardua & gravis pertractanda esset, semper ipsius consilium atque sententia expectabatur, etiam si gravissimo morbo decumberet. Posteaquam autem solito acrioribus morbi impetibus corripere, & ille sentiebat sibi nunc certissime evanidæ vitæ finem instare, nihil habuit prius, nihil posterius, quam ut ad immortalitatis iter cōtinuò pararet necessaria, & ex mortalitate ad vocantis Dei iussum Christianissime emigraret. Ita cum ore & corde peccata sua confessus esset, & solutionē eorū per mortem Jesu Christi Salvatoris nostri animitus petiisset, non nescius, unicum suum meritum esse se miserationem Domini, fidem S. cœnæ sumptione devotè communicavit. Etiam si autem à celeberrimis medicis nihil intentatum relinqueretur quodcumque ad arcendum morbum conducere videretur, tamen nulla medicamentorū species effectum suum consecuta est propter decrepitam senectutem. Die 19. Octobris anni 1655. cum de die in diem magis magisque morbus furere inciperet, curavit ad se accersi Dn. D. Wellerum rogans eum ut concionem funebrem haberet in exequiis suis, cæterum multa solatia ex sacris literis quæ sivit, atque invenit, licet balbutiente lingua omnia quæcumque loqui tentaret efferret, ad extremum tamen vitæ halitum mentis suæ compos fuit, & postquam plurimum Rev. Dn. D. Wellerus, abituriens domum, eidem valedixisset cum promisso, se horis postmeridianis rediturum, non concessit nisi prius ab ipso benedictione Christi afficeretur. Nec intermisit Dn. D. Wellerus eodem die lectulo decumbentem accedere, & cum animadvertisset eum paulo articulatius loqui, magnopere lætatus est, spemque concepit, eum pristinam sanitatem fore recuperaturū. Ille autē cum confidentiario suo diu multumque orabat, idē cum Dn. D. Wellero præstabat Evāgeliique solatia magnā cum animi fiduciā & lætitiā recipiebat. Inter has preces & gemitus ardentissimas in altum paulisper manu erectā hanc vocē bis repetebat: non amplius ægroto, nō amplius ægroto, impositāque manu sua manibus Dn. D. Welleri ejusmodi ad illum verbis usus est: Vesperis Dn. compater nos invicem valere jubebimus. Putabat Dn. D. Wellerus, eum paulisper quiesciturum

curum fore, demãdatoqve S. S. Trinitati ipsius tum corpore,
 tum animã regressus est domum, dicens si quã ejus opus habe-
 rent modò indicaretur, se sine morã etiam mediã nocte ven-
 turum. Remansit Dn. M. Zimmermannus confidentiarius
 ejus cujus paulo ante mentionem fecimus & apud eum com-
 moratus est, oravitqve cum illo. Hic manibus paulisper ele-
 vatis ternã vice sacratã crucis figura sese signavit, corporeqve
 suo à lævo latere in dextrum verso tanquam quieturus eo
 ipso momento absqve omni commotione non animadver-
 tentibus circumstantibus anima ex corporis ergastulo solutã,
 & in cœli arcem egressa, vitæ suæ finem imposuit, debitum
 naturæ persolvit, luctum, dolorem, desideriumq; suis omni-
 busqve bonis reliquit, spiritum à quo demissus erat Deo red-
 didit, sed corporis exuvias terræ matri inferendas concedi-
 dit. Hunc vitæ suæ finem habuit Metzschius noster, jam ve-
 ro in cœlo vitam agit æternam cum S. S. Trinitate, beatis an-
 gelis & cœlitibus, cum parentibus & majoribus sanctissimus,
 & ea participat bona, quæ verè & perfectè quod ait Petrus
ἀμείβεται ἡμῖν ἀφ' ἑαυτῶν ἡμῖν ἀμείβεται. Sunt futura.


Nos omnes Auditores honoratiss. in hujus vitæ curricu-
 lo, etiam si in mediã degamus patriã, & in materno quasi re-
 cumbamus gremio, nihilominus tamen viatores sumus, nec
 aliam habemus patriam, nisi cœlum, in quo defunctus noster
 Metzschius cum beatis angelis atqve hominibus omnium,
 expers laborum & curarum vacuus jam suaviter requiescit.
 Eandem ad patriam & nobis anhelandum, ergo vitæ nostræ
 & *deviã* consideremus, benè mori discamus, omnemqve
 diem, imò omnem horam nobis ultimam futuram existime-
 mus, ut paratissimi semper simus reddere rationem coram
 Tribunali Christi Jesu sine ullã animi consternatione terro-
 ribusqve conscientiæ. Faxit illud, faxit S. Trinitas laudanda
 per omnia seculorum secula.

Cœterum quod restat V. V. Dign. & Emin. favorem, ho-
 norem, amorem, benevolentiam atqve humanitatem, mihi
 sed non tam mihi quàm Viduæ & familiæqve Metzschiorum
 Schönburgorum & Schönfeldiorum, ^{Lejetorum} ~~moestiss.~~ honoratiss.
~~Esoro~~ condolentiæ causa exhibita non possum salis condi-
 gnis laudibus deprædicare, aut in cœlum evchere. Laudabon-
 dum vixero, compensabo si potuero. Quicquid enim in Viri-
 bus & reculis meis exilibus erit, quibus aliquam grati animi

Zc 6399 M

indicinam uni vel alteri exhibere potero, illud ipsum tam
Studiis promte quam promptissime cuilibet ad nutum & nictum
praestò erit Deus autem Pater Misericordiarum lacunam Va-
cantem & capitis in Synedrio ac Consist. Eccles. Supremo de-
fectum quam citissime tali subjecto habili & qualificato, cui
Status Publicus Eccles. ex quo omnis salus secundum illud
querite primum regnum DEI &c. dependet, cure cordiq; est
unicè suppleat atque exornet Vulnus Viduae familiaeque
Metzschiorum luctuosiss. moestissimae acerbè inflectu Oleo
Misericordiae & consolationis leniet consolidetque. Nos
autem omnes & praecipuis Studiosam juventutem parili ar-
dore & fervore ut *metzschiorum* noster incendat, quò cum fru-
ctum inserviendi bono publico olim in partibus Reip. no-
bis & ipsis concedendis, felix exoptataque gubernatio se-
quatur idque per & propter **DOMINUM NOSTRUM**
JESUM CHRISTUM Filium DEI unigenitum in
secula seculorum benedictum.

D I X I.



MC
1017

X 2054919

ULTIMUM OFFICIUM

In honorem & perpetuam memoriam

Prænobilit

Dn. FR

ossissimi

Metsch/

Hereditarii in
ni Imperii Aërario
ctori Saxon: à con
Præsidis

S. Roma-
erenissimo Ele-
fiastici Supremi

*Quem merito Parenti
berrimi, sive Academiis,*

*vere Viri quiq; cele-
xonici territorii Syne-*

In solatium utriusque
mas l

ostergendas lacry-
ose

QVIRIN

RO, D.

